

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0531

0529

0535

0525

0540

516

potione est adeo suavis, ut nullus alias potus eo habito desideretur. Sic et hic similiter dulces et amaras aquas reperimus. Vidi tamen in quodam loco terrae nostrae in eodem loco qualitates ejusdem aquae magis mirabiles. Nam supra Confluentiam prope oppidum Nassow, ebullit de petra aqua amara et calida et de rimis ac scissuris ejusdem petrae calidior et amarior, et dulcis et frigida similiter etiam ibi reperiatur et frigida et amara similiter, et tamen totum de una petra emanat. Dicitur autem locus ille Wasserems, in quo sunt habitationes pro balneari ibi volentibus, quia aquae illae medicinales sunt.

Adaquatis itaque nobis et bestiis a loco festini recessimus et iterum in torrentem alium horribilem venimus et cum in eo diutius processissemus, in parte ejus ascendimus et camelos nostros in alto a longe conspeximus procidentes, concito autem gradu eos (**b**) seuti sumus et dum ad eos venissemus, aqua in amphoris calefacta fuit et inutilis ad potandum et aliquantulum salsa; quam statim enim solis calorem aqua illa sentit, ad amaritudinem tendit. In illo die ambulavimus in maximo solis aestu per torrentes mirabiliter desertos et steriles, in sero autem quendam torrentem intravimus, quem nominabant Laccaram, et in eo tentoria fiximus juxta petrosum clivum, de quo rupes minaces dependebant. Accepimus autem lectulos nostros et cavernam magnam intulimus et ibi descendimus, odio enim habuimus tentorium et non libenter sub eo quievimus, quia copulati et juncti adinvicem pediculis replebamur unus de alio. Omnes petrae, rupes et humus illius loci erant de terra albissima, unde pulvere albo conspersi fuimus, ac si fuissemus in uno turbido molendino de farina. Dum autem sarmenta collegissemus et coqueremus, circuiverunt ductores nostri et Arabes tentoria nostra petentes a nobis ova et paximatos et alia esibilia, nec tamen illo sero nisi parum manducaverunt, cuius causa statim subditur.

Finit tractatus septimus.

Ende

Anfang

